

IV. *Vindiciae Matheſeos Universaliſis Gregorianæ contra ſecundos Abbatis Galloſii impetus in Historia Acad. Scient. An. MDCCIII.*

Duodecim abhinc annis (a) Jacobi Gregorii, Clarifimi Viri, patrui mei defenſionem fuſcepſi contra calumnias Abbatis Galloſii, (b) qui & illum & celeberrimum Barovium, quaſi Propositiones suas de *Transformatione Curvarum* a Robervallio ſurripuerint, apud orbem literatum criminatus eſt. Plurimis tum argumentis ostendi, quam hæc iniqua eſſet, imo inepta ſuſpicio. Quandoquidem vero eorum famæ nondum parcit Galloſius, ſed eandem denuo litem redintegrat, (c) ne Robervallium illud, uti ait, iiluſtre Parifiensis Academiæ lumen deferere, aut illius honori deeffe ullo modo videatur: me certe non minus decebit, & meæ Gentis cauſam agere, & ſuum Patruo meo decus vindicare. Viro tanti inter Mathematicos nominis, ut ſi eum cr Robervallio comparem, minime verear, ne qui utrumque norint, me in illius laude non ſatis modeſtum æſtiment. At fuerit ſane Robervallius, quantum fuiffe eum Socii ejus Academicci perhibent, imo quantum ſe Iipſe in poſthumis ſuis prædicat, ubi poſt paginam inventis ſuis numerandis inſumptam, at Ego, ait, (d) circa Arithmeticam Musicam Opticam Astronomiam Geometriam Geographiam

(a) *Philofoph. Transact. Nov. 1694.* (b) *Hift. Acad. Reg. Parif. 1693.* (c) *Hift. Acad. Reg. Parif. An. 1703.* (d) *Oeuvres des Math. par Mſſs. de l' Acad. Roy. pag. 301.*

Plura



*Piura quidem feci quam quæ comprehendere verbis
In promptu mibi sit.*

Sed illa omnia vulgaria aestimo : Et pergit deinde per paginam sesqui-alteram, nobiliora sua reperta, quæ Jovis auri-
bus servavit, recensere. Fuerit inquam hic vir quantum-
vis Egregius, tamen hac sui opinione, hoc fastu inflatus
haudquaquam prospera in Italos omnes Mathematicos
bella intulit, & tam infeliciter ei cessit rerum novarum
studium, ut vix unquam inventum aliquod suum aperire
inceperit, quin idem prius ab aliis vulgatum, ab aliis illius
laudem omnem præemptam jam & occupatam ægerrime
videret. Ubi ab Italis Cycloidem acceperat, statim in
illa (e) *Trochoidem suam agnovit, miratus quomodo illa ad*
Italos pervenerit, eamque a Galilæo ante annos quadra-
ginta inventam sibi asseruit, ita ad eum modestius scri-
bente Torricellio, (f) *Quoad Autorem hujus figure cre-
do ego ingenium tuum acutissimum & feracissimum observare
potuisse ostendente nemine;* attamen vivunt adhuc testes qui-
bus olim Galileus irritas lucubrations suas communicavit
circa hanc figuram, imo supersunt adhuc paginae aliquot Clari-
ssimi Mathematici in quibus picturas & aggressiones suas
nonnullas circa hoc subjectum jam Adolescens delineavit.
Deinde cum communicatum illi a Torricellio ejusdem
Cycloidis centrum Gravitatis haberet, idque pro suo ven-
ditaret, ita questus est ad Mersennum Torricellius,
(g) *Quod certe imo certissime scio non habuisse Robervalli-
um antequam demonstrationem meam videret,* ut Paternitas
vestra vel ipsemet, vel universa Europa testis esse poterit, &
aliâ Epistolâ (h) *Quadraturas,* inquit, ad Clarissimum Ro-
berwallum mitto fortasse ad subeundam eandem fortunam

(e) Ibid. 279. (f) Ibid. 283. (g) Ibid. 293. (h) Ibid. 297.

cum meo centro Gravitatis Cycloidis. Neque hæc eum fefelit suspicio, quicquid enim in iis novum est aut pulchrum
 (i) sibi & Fermatio assumit, ac ne minimam Torricellio laudem relinquit. Qui itaque cum aliam a se inventam Propositionem Robervallio mitteret (k) *Oro te*, inquit,
ne inter vestra hanc etiam habeatis, hoc enim effet tollere omne literarum scientiarumque commercium. Ne quid vero novum aliquis in lucein emitteret quod irrepertum Robervallio fuerit, etiam (l) Clarissimi Cavallerii Methodum Indivisibilium, integro quinquennio antequam ab eo in publicum prodiret, sibi notam & usitatam dicit. Bellum itaque, quod Italis jam diu fructuaque intentatum fuit, ne miremur ad Britannos demum migrasse ; nec quod Galileo, Torricellio, & Cavallerio accidit, id quoque Barovio & Gregorio contigisse nimium ægre feramus. Iao potius miramur cur hoc tam sero contigerit. Septem enim annos post editum Gregorii librum vixerat Robervallius. An vero Ille, qui levissimam quamq; gloriolam captavit, qui nihil sibi non arrogavit, nihil cuiquam proprium esse voluit, has sibi propositiones suas eripi vivens vidensque pateretur. At non viderat, inquit Galloysis, per tot annos nihil legerat novum, & omnibus se inventis spoliari facile passurus Famæ jam & Mathesi valedixerat. Miror quo ore hæc sua proferat commenta, quæ tam facile coargui possunt. Tantum enim abest ut Robervallius ab anno 1668 in secessu & ab eruditorum commercio remotus degerit, studiaque deposuerit mathematica, ut in Academia Parisiensi Matheſeos Professor Anno jam 1670 novæ Statueræ inventionem Academiæ Scientiarum Regiæ communiqueret (m) uti Acta eo anno impressa testantur. Intervit itaque Robervallius Academicorum conventibus, &

(i) *Ibid.* 298. (k) *Ibid.* (l) *Ibid.* 285. (m) *Journales des Savans* 1670.

si ipse nihil tum legerit, nihil ne tamen de his adeo in Gallia celebratis Gregorii inventis ad illius aures fando pervenit? Nihil horum accepit ab Hugenio (n) qui tem temporis contra Gregorium inter Academicos acerrime disputavit? Vel si nulla illi cum Hugenio, ut Galloysis dicit, familiaritas intercesserat (forte quia præcipuam & maxime utilem suæ Trochoidis proprietatem ab Hugenio inventam fuisse dolebat.) nihil a cæteris omnibus Academicis per universum septennium audire potuit. Aut si audisset, nihilne questus esset, ne ipsis quidem Fratribus suis & Amicis? Tam fuisse eum Gloriæ abstinentem haud temere quisquam crederet, qui illius cum Italis, cum Suis, cum omnibus rixas intellexerit: aut saltem dicet, quantum ab illo mutatus est, quem modo sic locutum audivimus, (o) *Nos ætate aut tempore saltem priores etatis aut temporis beneficia respuemus, & junioribus aut saltem tempore posterioribus vivi adhuc relinquemus & Apage stultam illum in nosmet ipsos injustitiam.* Quod si repente factus est tam patiens, tam famæ aversus Robervallius, ut sua omnia aliis tribui facile permiserit, quæque feliciter invenit, intra scrinia sua latere, quam in lucem prodire maluerit; qui tandem factum est, ut hæc ab eo sumere potuerit Gregorius? Videamus quibus argumentis tretus Galloysis hanc criminacionem denuo urgere pergit. Primo, inquit, methodum hanc de transformatione curvarum a Robervallio excogitatam in Italia ante annum 1668 notam esse constat, quia Torrecellius qui mortuus est An. 1647 in Epistolis suis testatur eam sibi a Robervallio communicatam esse. 2do. Hanc methodum cum Gregoriana eandem esse invitus fatetur adversarius. 3to. Itaque verisimile admodum videri debet, quod Gregorius dum in Italia peregrina

(n) *Journales des Savans An. 1668.* (o) *Oeuvres des Mathémat. par M. de l' Acad. Roy.*

retur, hanc methodum tam diu in Italia cognitam ab Italis habuerit.

Quod Methodus hæc, quæ sub Robervallii nomine prodiit An. 1692, eadem sit cum illa quam Prop. XI. Math. Univers. jam ante annos viginti quatuor ediderat Gregorius, sicuti utramque insipienti satis clarum est, ita a me ultro concessum fuit. Dixi quidem eam in Gallorum scriptis, ubi Robervallio tribuitur, demonstratione miserâ & pudendâ vestitam, sed non eandem esse cum Gregoriana nunquam disputavi, nullam ex hac parte litem movi, utcunque in ea præcipuam inter nos quæstionem versari dicat Galloysius, meque super eâ manus dedisse serio triumphet. Nondum tamen illi concedo eam vel Italis ante notam esse, vel ab iis Gregorio impertitam. Quomodo enim liquet iis fuisse notam? Quia eam Robervallius cum Torricellio communicavit. Unde vero hoc constat? Ex Epistola ipsius Torricellii. Ubi est hæc Epistola? Apud Galloysium. Quando scripta est? Annis abhinc fere sexaginta. Ubi tam diu latuit? Ubi omnia mirabilia latent, in ipsis Robervallii apothecis. An hæc Epistola genuina sit, multo minus an omnino sit, in tanta testimoniorum luce nefas est dubitare. Sed ex quibus literarum monumentis evincitur Torricellum hæc inventa Italis impertitum esse? De hoc altum est adhuc silentium. Vel si cui hæc forte impertiit, poterant tamen iterum excidisse, & penitus fuisse ignota, cum ipse Torricellius viginti jam annis ante Gregorij in Italianam adventum mortuus fuerit. Aut si nondum memoriâ hominum exciderant, dicat si potest Galloysius quis Mathematicorum hæc aræana sibi a Torricellio commissa Gregorio ostenderit. Dicet fortasse (quid enim pro arbitrio suo non dicet) in Italia multis nota esse. An vero Itali Arcana hæc Geometrica quæ per viginti annos nusquam prodiere, Gregorio demum peregrino crederent? An ille in media Italia (Liber enim ejus Patavij impressus est) ausus esset pro suis venditare quæ modo ab Italis didicerat? Vel si fuisset adeo expers

pers verecundiaæ, hoccine fieri potuit, ipsis non modo non
 reclamantibus, sed etiam plaudentibus Italîs. Mihi qui-
 dem hoc non sit verisimile. Sed judicent, quibus hæc
 omnia permitto, eruditî, & ignoscant mihi si hæc pro-
 lixius prosecutus sim, ut finem aliquando imponam hanc
 tam jejunæ disputationi, unde nullum ad Literatos fructum
 redundare speramus. Stemus vero, si Galloysis placeat,
 ipsis Robervallij judicio; Ipso enim arbitro hujuscce me-
 thodi Author habendus est Gregorius. Robervallius
 enim dum Cavallerij *Indivisibilia* a se inventa integro ante
 quinquennio jactitat, *Cavallerio* interim Authoris laudem
 relinquit. Ego, inquit, tanto viro tantæ & tam sublimis
 doctrine inventionem non eripiam; nec possum, nec si possim
 faciam. Ille prior vulgavit, ille hoc jure suam fecit: ille
 hoc jure habeat, atque possideat: ille tandem hoc jure
 Inventoris nomine gaudeat. Abset ut in tali causa Inter-
 cessoris ridiculi provinciam mihi suscipiam. Suscepit tamen
 Galloysis. Ac profecto si perget Illustris illius Acade-
 mici scrinia excutere, & inventa, quæ ibi per tot annos
 dormierunt, expurgifacere, atque in lucem protrahere,
 nescio quoisque postuma crescat laude Robervallius:
 aut quid novi ultra nostri ævi Mathematicis reliquum sit,
 quod non pari jure, ac hæc Gregoriana, Robervallio
 demum arrogari possit.